

*siastica Ludouici Granatensis, Monachi Dominicani, eloquentis aliàs & docti: consului & Didaci Stellæ, itemque Iacobi Perefii, & nonnullorum aliorum Pontificiorum de eodem argumento editos libros. Dum tandem ante annos circiter tres amicus quidam meus communicaret mecum manuscriptum libellum, in quo consignata erant præcepta quædam & regulæ, atque obseruationes ad concionandi praxin pertinentes, quas olim Clarissimus ille Chronologus & concionator Silesia eloquentissimus, ac mirè patheticus, Abrahamus Bucholcerus dictârat amanuensi suo, tumultuariè quidem & nullo ordine aut methodo, & stylo etiam partim vernaculo, partim Latino, prout quilibet prius vel postèrius in mentem venerat; sed tamen ita ad docendum & mouendum sæpe utiles atque accommodatas, ut eas putarim imprimis ad usum meum obseruandas; & quæ ille dispersim, & pæpèdus notârat, in certos titulos ac locos communes referenda. Cum ergo eiusmodi qualemcunque apparatus penes me esse comperissent aliquot Theologiae studiosi, sacri ministerii candidati, cœperunt instare, ut*